

suorum relinqueret. Et si aut nihil, aut minus parte dimidiâ reliquerat: dabatur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum possessio. Sive intestatus moriebatur, suo herede relicto filio adoptivo: dabatur æquè patrono contra hunc suum heredem, partis dimidiæ bonorum possessio. Prodesse autem liberto solebant, ad excludendum patronum naturales liberi, non solum quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati, & in adoptionem dati: si modò ex aliqua parte scripti heredes erant, aut præteriti contra tabulas bonorum possessionem ex edicto Prætorio petierant. Nam exherediti nullo modo repellebant patronum.

§. 2. Postea verò lege Papiâ adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis eius, qui sestertiū centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat; sive iste testamento factus, sive intestatus mortuus erat: virilis pars

Dd 3 patro-